

ceptione quam in sententiarum prolatione, illarum videlicet, quarum una deposita fuit apud monasterium Tallieti (!), et alia apud monasterium S. Andree de Sesto. De quibus, quid in eis continebatur, nec in toto nec in parte sciverunt predicti, scilicet meus tunc prior et fratres de Ianuis, Unde ego sum, qui peccavi, ego sum, qui deliqui, ego qui ordinem meum et voluntatem prelati mei et fratrum meorum in hac parte transgressus sum, et ideo omne scandalum et culpa non in eis, qui innocentes sunt, set in me tamquam in simplice homine convertantur et sint. Peccavi insuper et off[f]endi, quia sepius verba duplicia et obscura loquebar cum aliquibus de comuni Ianue, puta cum sindicis, ambaxatoribus et aliquibus de consilio et de officialibus et cum eorum arbitro et notario, habentia spem promissionis de dando eis libere et absolute Capriatam cum tota curia et suo contili. Et maxime una hora, cum instaret tempus sentencie proferende, scripsi fratri Willielmo . . . eorum arbitro, dicens: ordinetis scriptum clausum, emendetis et corrigatis, sicut placuerit deo et vobis, et ego promitto vobis in fide mea, quod in omnibus et per omnia, sicut ibi continebitur, scribam, nichil addendo vel diminuendo¹. Et in hoc eum decepi et per eum comune Ianue, quia ipse intelligebat scribam pro sentenciabo, ego autem non. Unde tempore sentencie proferende illam scripsi, et aliam sentenciavi, et eam sentenciare feci, credens satisfacere consciencie mee. Sed modo video, quod sicut homo simplex deceptus fui, et male feci. Et hoc dico, protestor et confiteor coram vobis, quia aliam scripturam supposui loco illius, in qua continebatur aliud quam in illa, quam mihi dederat eorum arbiter supradictus, et hanc sententiavi, et eam sentenciare feci et sigillum suum apponere, et Nicolaum notarium feci subscribere, quam sentenciam nec ipse arbiter nec eius notarius vel in toto vel in parte audivit vel legit. Et in hoc eos decepi, quia predictus arbiter credebatur sigillare et sentenciare, et eius notarius credebatur subscribere scriptum vel cartam, quam mihi dederant, et non aliam. In qua carta mihi data continebatur, quod Capriata cum villa et cum toto contili suo erat et esse debebat comunis Ianue libere et ad proprium omni tempore, et quod eam post annum possent munire muris et aliis presidiis ad voluntatem suam sine contradictione comunis Alexandrie, salvo eo, quod non posset aug-

1) Vgl. den Brief n. 6a, oben S. 428.